



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 78. Mediolanensium Dux Burgundi amicitiam postulans

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Sæcul. XV. Ducissa de Burgundi proposito vix satis  
A.C. 1475. edocta erat, cum jam præcipiti consilio,  
 ac neglecto Galliarum Regis fratris sui  
 commodo, commentitio ac inani Ducis  
 consilio consentiret, atque ex subditis suis  
 longa militia magis exercitatis quinque  
 millia conscriberet, eosque Burgundio-  
 num copiis adjungeret. Hujus foederis  
 auspicio Burgundus ab ultimis Frisiae  
 finibus usque ad Mediolanensem Duca-  
 tum longa ac continua suarum ditionum  
 serie imperium ingentibus incrementis  
 pretendere, hocque pacto alterum am-  
 bitionis suæ commentum novis Medio-  
 lanensis Ducatus accessionibus explore-  
 potuisset.

## §. LXXVIII.

*Mediolanensium Dux Burgundi  
 amicitiam postulans.*

Summæ rerum in Mediolanensi Duca-  
 tu eodem tempore præerat Galeatus  
**Sfortia** Francisci Sfortiæ nothi Filius;  
 hujus Parens, cum Venetorum copiis  
 imperaret, Ducatum vi occupabat, quem  
 proin in Filium suum nonnisi usurpatorio  
 nomine transferre poterat. Mediolanen-  
 ses pacato Francisci Sfortiæ regimi-  
 jamjam assueti Galeatum velut mon-  
 strum ex hominum consortio protinus  
 eliminandum habebant, atque conjura-  
 tionem

tionem, in qua etiam postea misere tru- Sæcul. XV.  
A.C. 1475.  
cidatus obiit, ferme universalem adver-  
sus eum conslabant. Galeatius periculi  
sibi imminentis haud omnino ignarus  
erat, ac aliunde ad solam famam nuptia-  
lis foederis, quod Filia Burgundiæ hæ-  
res cum Duce Sabaudiæ inire dicebatur,  
conterritus suspicabatur, hoc affinitatis  
vinculum non alio conceptum esse con-  
silio, quam ut Burgundo ob quadrin-  
gentos lancearios Ludovico XI. in  
bello *boni publici* suppeditatos pœnas da-  
ret. Quare ut impendentem capiti suæ  
tempestatem mature præveniret, com-  
pertæ fidei Virum ad Burgundiæ Du-  
cem allegat, qui cum eo amicitiae fö-  
dus pacisceretur. Burgundus ignaviam,  
quam hoc facinore Galeatius prodiderat,  
risu ac contemptu explosit; ejus tamen  
voto de industria concessit, ut ab eo co-  
pias, & pecuniam in belli subsidium ex-  
torqueret. Nec eum spes sua fefellit;  
cum enim ab eo quindecim millium ar-  
matorum suppetias impetrasset, adeo  
inermem reddidit Galeatum, ut Burgun-  
dionum exercitus Mediolanensem Duca-  
tum ad primum hostilem impetum, nullo  
ferme obsidente, imperio adjungere po-  
tuisset.

Mm 4 §. LXXIX.